

Delphos eum petiisse ad consulendum oraculum, quomodo pater fieri posset. Tum illi deum respondisse, ut quem postero die obviam habuisset, eum sibi adoptaret. Itaque supra dictum puerum, qui ex Apolline ³
⁵ genitus erat, obviam illi fuisse eumque adoptatum. Cum adolevisset, non contentum patrio regno cum ⁴ magna classe in Italiam devenisse occupatoque monte urbem ibidem constituisse eamque ex suo nomine Ianiculum cognominasse.

¹⁰ Igitur Iano regnante apud indigenas rudes in- ³ cultosque Saturnus regno profugus, cum in Italiam devenisset, benigne exceptus hospitio est ibique haud procul a Ianiculo arcem suo nomine Saturniam constituit. Isque primus agriculturam edocuit ferosque ²
¹⁵ homines et rapto vivere assuetos ad compositam vitam eduxit, secundum quod Vergilius in octavo sic ait:

*Haec loca indigenae Fauni Nymphaeque tenebant,
 Gensque virum truncis et duro robore nata,
 Quis neque mos neque cultus erat nec iungere tauros
<sup>Aen.
8, 314</sup>
²⁰ Aut componere opes norant aut parcere parto,
 Sed rami atque asper victu venatus alebat.*

Omissoque Iano, qui nihil aliud quam ritum colendo- ³ rum deorum religionesque intulerat, se Saturno maluit annectere, qui vitam moresque feris etiam tum men-
²⁵ tibus insinuans ad communem utilitatem, ut supra diximus, disciplinam colendi ruris edocuit, ut quidem indicant illi versus:

*Is genus indocile ac dispersum montibus altis
 Composuit legesque dedit Latiumque vocari
<sup>Aen.
8, 321</sup>
³⁰ Maluit.*

Is tum etiam usum signandi aeris ac monetae in for- ⁴ mam incutiendae ostendisse traditur, in quam ab una □